

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Justa, Justa**

**Malsch, Johann Caspar**

**[Durlaci], 1712**

[urn:nbn:de:bsz:31-2387](#)

31

# JUSTA JUSTA, Quæ in funere V I R I Præstrenui ac Nobilissimi, D O M I N I **MICHAELIS BULYOWSKJ**

de Dulycz, seu Gyulafalva,  
Inclyti Regni Hungariæ Comitatūs Novogorodiensis  
jurati Assessoris:

Serenissimo Principi Bada-Durlacensi &c.  
ab Consiliis Sacris,

Illustris Gymnasii Durlacensis

## PRO-RECTORIS,

Philosophiæ Activæ, Historiarum & Matheſeos  
Professoris Publ.  
meritissimi,

d. 23. Aug. 1712. beatè defundi,  
ac deinde

seq. d. 26. ejusdem Mensis consuetis solennitatibus elatis;  
piis manibus meritissimi Viri exhibere  
voluit, debuit

*Illustre Gymnasium Durlacense.,*

Interprete

Joan. Caspare Malschio, Eloq. Poëſ. & Gr. Ling. Prof.  
eiusdem nobilissimi Viri olim Discip. ac tandem Collega.

Typis & literis Theodori Hechtii, Typogr. Aulici.

(1712)

49

(o) ☾



**D**ULYCII cineres, ac frigida membra sepulti,  
 Quicquid & æthereas Virtus transcripsit ad arces,  
 Atque oculis hominum, & spiralibus abstulit auris:  
 Quicquid id est, tacitæ quod muta cubilia Lunæ,  
 Matutæque thoruni pernicibus exiit alis:  
 Huc ades, ô felix, nec adhuc nostri immemor ingens  
*Nobilis Umbra Viri!* seu Te jam labe solutum  
 Corporis astrorum retinet chorus, aurea cœli  
 Sidera mirantem; sive intimus ætheris hospes  
 Ante Deum mediis in millibus, abdita lustras  
 Sacra poli, fruerisque Deo, nec adire parentem  
 Cælituum dubitas. Nostri monimenta doloris  
 Aspice; si qua vacas; si qua est Tibi mutua nostri  
 Cura relicta super; si quid de funere restat  
 Egelido, quod non morborum examina, quod non  
 Letiferæ febres, vel edax abolere senectus  
 Sustinuit. Tristem Te plangimus ante pheretrum,  
 Exuviasque Tuas, & mœsta voce ciemus  
 Ad tumulum manes, tumuloque novissima dona  
 Inferiasque damus. Bifido de vertice Pindi  
 Primus it immissis hirsuta per ora capillis  
 Phœbus, inops animi, tristique incincta cupressu  
 Tempora concutiens, superos testatus & astra  
 Heu mihi! clamat, ubi es? qua Te regione requiram?  
 Qua sequar, ô ingens desertæ gloria Cyrrhæ?  
 Occuluitque caput: Parnassides uida musæ  
 Serta gerunt lacrymis, & quales educat orbis  
 Alter, ubi tepidus terras irrorat Eous,  
 Sanguinis Oebalii flores, Cyniraque potente,  
 Liriopeque satos. Atris in vestibüs omnes,  
 Velatæque peplo sœvi manifesta doloris  
 Signa ferunt Artes. Toto Facundia vultu

Palli-

Pallida, tunsa sinus, & comtos scissa capillos  
 Ingenti luctu stupefacta obmutuit amens.  
 Orpheus obstupuit, nulli memorantur amores ;  
 Muta jacent passim septem discrimina vocum ;  
 Pythagoræque *Canon*, & Apolline digna magistro,  
*Dulycia* fabricata manu, *Chelys* ita silescit.  
 Quid loquar, ut canos turpans in pulvere crines  
 Nobilitas Generis, titulis in signis avitis,  
 Adgemit, & tacite, Quid sit Domus inclyta, quid sit  
 Clarus, ait, sanguis, Mors solaque & unica nescit.  
 Fallimur? an etiam circum feralia tumbæ  
 Claustra sedent Divæ ; Rectuni Pietasque Fidesque  
 Gnavaque Sedulitas, & mens ignara dolorum,  
 Et vigiles olim ( sed quas nunc condidit atra  
 Horrida Nox umbra ) musarum in commoda curæ,  
 Luctus ubique sonat, gelidamque fluentibus urnam  
 Perfundunt lacrymis, intabescuntque dolendo.  
 Ipsa sed ante alias, tanto mæstissima casu,  
*Musica*, quæ posito sensim squallore , situque  
 Sustulit os cœlo nitidum, vocemque canoram:  
 Ipsa suæ metuens præfigia mentis, An, inquit,  
 Ira poli nobis telum fatale minatur?  
 Exitiumque parat? viden' ut super omnia Princeps  
 Mœret, & ut fidi letho commotus amici  
 Signa dolentis habet? desideriumque Tuarum  
 Virtutum supereft, & post solemnia Pompæ  
 Exequiasque Tuas ac lamentabile Funus  
 Durat amor luctusque Tui. Sed Te ardua cœli  
 Regia, qua tota est candore notabilis ipso,  
 Jam tenet, humanæ jam vitæ incommoda vides:  
 Jam Tibi parta quies; jam sidera vasta terenti  
 Ultro sub pedibus Nimbique Austrique madentes  
 Terroresque Metusque & inexorable lethum  
 Fataque viæta jacent. Jam dia luce coruscus  
 In medio procerum testudine radis eburna  
 Sacrum augustum ingens & non imitabile carmen.

Sal-

Salve, Dulyczi, quamvis astra inter, & alti  
Semideos erras non ultimus incola cœli,  
Ne tamen & nostræ spernas præconia laudis,  
Parva quidem, cineri sed non indebita vestro  
Dum pia justa damus. Si quid modo carmina possunt,  
Si quid habent vates; si quis, quo nostra calente  
Pectora concipiunt socii commercia cœli,  
Spiritus intus agit: Non Te cariosa vetustas,  
Non Te tempus edax, vel inexsaturabile lethum  
Eripiet nobis. Fruitur jam numine & astris  
Pars animæ potior; Famæ pars altera cessit;  
Umbram animæ nobis tellus subduxit; in ipso  
Vertice sed tumuli properans, me vase, viator  
Hæc oculo properante leget: *Defecta quiescunt*  
*Hic magni ossa Viri, quo vix celebratior alter,*  
*Sive movere Chelyn digitis, seu dicere carmen,*  
*Aut radiis orbem describere; prorsus ad unguem*  
*Factus homo, justig, tenax, teres atq, rotundus,*  
*Finibus Hungariae Rhenanas missus ad oras.*

